

Universitätsbibliothek Wuppertal

Orationvm Marci Tvl. Ciceronis

Accesserunt breues animaduersiones ex doctissimorum hominum
commentariis, quibus ita loci permulti explicantur, vt vulgo receptæ
lectionis vbique ratio habeatur

Cicero, Marcus Tullius

Lvgdvni, 1586

Oratio XLIII: In M. Antonium Philippica prima

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-343](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-343)

eandemq; assiduitatem tibi se praebuisse postredie. Quamobrem, si quid eorum, quae obiecta sunt, cogitatum sit: non recusat, quin id facinus suum indices. Quocirca, C. Caesar, uelim existimes, hodierno die sententiam tuam, aut cum summo dedecore miserissimam pestem importaturam esse regibus, aut incolumem famam cum salute: quorum alterum optare, illorum crudelitatis est: alterum conseruare, clementiae. u.a.



P. 152. IN M. ANTONIUM
PHILIPPICA PRIMA.

ORATIO XLIII.



ANTE QUAM de rep. Patres conscripti dicam ea, quae dicenda hoc tempore arbitror, exponam uobis breuiter consilium, & professionis, & reuersionis meae. Ego, cum sperarem aliquando ad uestrum consiliu, auctoritatemq; remp. esse reuocatam, manendum mihi statuebam, quasi in uigilia quadam consulari, ac senatoria. nec uero usquam discedebam, nec à rep. deiciebam oculos ex eo die, quo in adem Telluris conuocati sumus: in quo templo, quantum in me fuit, ieci fundameta pacis, Atheniensiumq; renouaui metus exemplum: Graecum etiam uerbum usurpauit, quod tu in sedandis discordiis usurpauerat ciuitas illa: atq; omnem memoriam discordiarum obliuione sempiterna delendam censeui. Praeclaratum oratio M. Antonij, egregia etiam uolunt

luntas: pax deniq; per eum, & per liberos eius cum præstantissimis civibus confirmata est. Atque his principibus reliqua consentiebant. ad deliberationes eas, quas habebat domi de repub. principes civitatis adhibebat: ad hunc ordinem res optimas deferebat: nihil tum, nisi quod erat notum omnibus, in C. Cæsaris commentarijs reperiebatur: summa constantia ad ea, quæ quasita erant, respondebat. Num qui exsules restituti? unum aiebat, præterea, neminem. Num immunitates datae? nulla, respõdebat. Assentiri etiam nos Ser. Sulpitio clarissimo viro voluit, ne qua tabula post Idus Martias ullius decreti Cæsaris, aut beneficij fingeretur. Multa præterea, eaq; præclara: ad singulare enim M. Antonij factum festinat oratio. Dictaturam, quæ vim iam regie potestatis obsederat, funditus ex repub. sustulit. de qua ne sententias quidem diximus. scriptum senatusconsultum, quod fieri uellet, attulit: quo recitato, auctoritatem eius summo studio secuti sumus, eiq; amplissimis verbis per senatusconsultum gratias egimus. Lux quædam uidebatur oblata, non modo regno, quod pertuleramus, sed etiam regni timore sublato: magnumq; pignus ab eo recip. datum, se liberam civitatem esse uelle, cum dictatoris nomen, quod saepe iustum fuisset, propter perpetua dictaturæ recentem memoriam funditus ex repub. sustulisset. Liberatus cadis periculo paucis post diebus, senatus. unicus impactus est fugituo illi, qui in C. Marij nomen inuaserat. Atque hæc omnia communiter cum collega, alia porro propria Dolabella: quæ nisi collega abfuisset, credo eis fuisse futura communia. Nam cum serperet in urbe infinitum malum, idque manaret in dies latius, idemq; bustum in foro facerent, qui illam insepultam sepulturam effecerat: & quotidie magis, magisq; perditii homines, cum sui similibus seruis, relictis, ac

tēplis urbis minarentur; talis animaduersio fuit Dolabella, cum in audaces, sceleratosq; seruos, tum in impuros, & nefarios liberos, talisque euersio illius exsecrata columna, ut mirum mihi uideatur, tam ualde reliquum tēpus ab illo uno die diffusisse. Ecce enim Kal. Iunij, quibus, ut adesset, edixerat, mutata omnia: nihil per senatū, multa, & magna per se ipsum, & absente populo, & inuito, Consules designati se audere negabāt in senatum uenire; patrie liberatores urbe carebant ea, cuius a ceruicibus iugum ser-

P. 135. uile deiecerant: quos tamen ipsi consules & in concionibus, & in omni sermone laudabant. Veterani, qui appellabantur, quibus hic ordo diligentissime cauerat, non ad cōseruationem earum rerum, quas habebāt, sed ad spem nouarum prædarum incitabantur. Quæ cum audire mallet, quam uidere, haberemque ius legationis liberum, ea mēte discessi, ut adesset Kal. Ian. quod initium senatus cogendi fore uidebatur. Exposui P. C. profectiois consilium: nunc reuersionis, quæ plus admirationis habet, breuiter exponam. Cum Brundisium, iterq; illud, quod tritum in Græciam est, non sine caussa uitauissem, Kal. Sextilibus ueni Syracusas, quod ab urbe ea transmissio in Græciam laudabatur, quæ tamen mihi urbs cōiunctissima plus una me nocte cupiens retinere non potuit: ueritus sum, ne meus repentinus ad meos necessarios aduentus suspicionis aliquid afferret, si essem commoratus. Cum autem me ex Sicilia ad Leucopetram, quod est promontorium agri Rhegini, uenti detulissent; ab eo loco cōscendi, ut transmitterem: nec ita multum prouectus, reiectus austro sum in eum ipsum locum, unde conscenderam. cumque intempesta nox esset, mansissemq; in uilla P. Valerij comitis, & familiaris mei, postridieque apud eundem, uentum expectans, mane

manerem, municipes Rhagini cōplures ad me uenerunt: ex his quidam Roma recentes: a quibus primum accipio M. Antonij concionem: quæ ita mihi placuit, ut, ea lecta, de reuersione primum cæperim cogitare. nec ita multo post, edictum Bruti affertur, & Cassij: quod quidem mihi, fortasse quod eos etiã plus reipubl. quã familiaritatis gratia diligo, plenum æquitatis uidebatur. Addebant præterea (fit enim plerumque, ut ij, qui boni quid nolunt afferre, affingant aliquid, quo faciant id, quod nuntiant, lætius) rem conuenturam: Kalend. Sextilibus senatum frequentem fore: Antonium, repudiatis malis suis foribus, remissis Gallijs provincijs, ad auctoritatem senatus esse rediturum. Tum uero tanta sum cupiditate in census ad reditum, ut mihi nulli neque remi, neque uenti satisfacere: non quo me ad tempus occursurum non *putarem, sed ne tardius, quam cuperem, reipublica gratularer. Atque ego celeriter Veliam deuectus, Brutum uidi, quanto meo dolore, non dico: turpe mihi ipsi uidebatur, in eam urbem me audere reuerti, ex qua Brutus *cederet: & ibi uelle tuto esse, ubi ille non posset. Neq; uero illum similiter, atque ipse eram, commotum esse uidi. erectus enim maximi, ac pulcherrimi facti cōscientia, nihil de suo casu, multa de *nostro querebatur. ex quo primum cognoui, quæ Kalend. Sextilius in senatu fuisset. L. Pisonis oratio: qui, quamquam parum erat (id enim ipsum a Bruto audieram) a quibus debuerat adiutus: tamen & Bruti testimonio (quo quid potest esse granius?) & omnium prædicatione, quos postea uidi, magnam mihi uidebatur gloriam consecutus. Hunc igitur ut semper, properavi, quem præsentem non sunt secuti: non ut proficerem aliquid, (neq; enim sperabam id, neq; præstare poterã) sed

P. B.

ut, si quid mihi humanitus accidisset, (multa autem impē-
dere uidebantur prater naturam etiam, praterq; fatum)
huius diei uocem testem reipublicæ relinquerem mea per-
petuæ erga se uoluntatis. Quoniam utriusq; consilij caus-
sam, P. C. probatam uobis esse confido, prius quam de re-
publica dicere incipio, pauca querar de hesternæ M. An-
tonij iniuria, cui sum amicus: idque nonnullo eius officio

P. I. S. S. * debere esse, etiam præ me semper tuli. Quid tandem erat
causæ, cur in senatum hesterno die tam acerbe solus co-
gerer? solusne aberam? an non saepe minus frequentes fuistis
an ea res agebatur, ut etiam agrotos deferri oporteret?
Annibal, credo, erat ad portas, aut de Pyrrhi pace ageba-
tur: ad quam causam etiam Appium illum & cæcum, &
senem delatum esse, memoriæ proditum est. De supplicatio-
nibus referebatur, quo in genere senatores deesse non so-
lent. Coguntur enim non pignoribus, sed eorum, quorum
de honore agitur, gratia: quod idem fit, cum de triumpho
refertur, ita sine cura consules sunt, ut pene liberum sit se-
natori non adesse, qui cum mihi mos uotus esset, cumque
e uia languerem, & mihi met displicerem, nisi pro amici-
tia, qui hoc ei diceret. At ille, uobis audiētib; cum fabris
se domum meam uenturum esse dixit. nimis iracunde hoc
quidem, & ualde intemperanter. cuius enim maleficij ista
pœna est; ut dicere in hoc ordine auderet, se publicis ope-
ris disturbaturum publice ex senatus sentētia edificatâ do-
mū? quis autem umquam tãto dano senatorem coegit? aut
quid est ultra pignus, aut multam? quod si scisset, quã sen-
tentiam dicturus essem, remisisset aliquid profecto de uene-
ritate cogendi. An me censetis, P. C. quod uos inuiti secuti
estis, decreturum fuisse, ut parent alia cum supplicatio-
nibus miscerentur? ut inexpliabilis religiones in rempubli-

cam inducerentur? ut decernerentur supplicationes *mor-
 tuo? Nihil dico cui, fuerit ille L. Brutus, qui & ipse regio
 dominatu rempublicam liberauit, & ad similem uirtu-
 tem, & simile factū stirpem iam prope in quingentesimum
 annum propagauit: adduci tamen non possem, ut quem-
 quam mortuum contingerem cum deorum immorta-
 lium religione: ut, cuius sepulcrum nusquam exstet, ubi
 parentetur, ei publice supplicetur. Ego uero eam sen-
 tentiam dixissem, patres conscripti, ut me aduersus po-
 pulum Romanum, si quis accidisset grauior reipublice ca-
 sus, si bellum, si morbus, si fames, facile possem defendere.
 quæ partim iam sunt, partim timeo ne impedeant. Sed hoc
 ignoscant dii immortales uelim & populo Romano, qui id
 non probat, & huic ordini, qui decreuit inuitus. Quid? de
 reliquis reipubl. malis licetne dicere? mihi uero licet, &
 semper licebit, dignitatem tueri, mortem contemnere. po-
 testas modo ueniendi in hunc locum sit; dicendi periculum
 non recuso. Atque utinam, P. C. Kalend. Sextilibus adesse
 potuissem: non quo profici potuerit aliquid, sed ne unus
 modo consularis, quod tum accidit, dignus illo honore, di-
 gnus repub. inueniretur. Qua quidem ex re magnum ac-
 cipio dolorem, homines amplissimis populi Romani bene-
 ficium usos, L. Pisonem ducem optimæ sententiæ non secu-
 tos. idcircone nos populus Romanus consules fecit, ut in
 altissimo, amplissimoq; gradu dignitatis locati remp. pro
 nihilo haberemus? non modo uoce nemo L. Pisoni consula-
 ris, sed ne uultu quidem assensus est. Quenam (malum) est
 ista uoluntaria seruitus? fuerit quædam necessaria. nec ego
 hoc ab omnibus iis desidero, qui sententiam loco consulari
 dicunt. alia causa est eorum, quorum silentio ignosco: alia
 eorum, quorum uocem requiro. quos quidem doleo in
 su

P. B.

P. 156.

suspicionem populo Ro. uenire, non modo metus, quod ipsum esset turpe; sed alium alia de causa deesse dignitati sua. Quare primum maximas gratias & habeo, & ago L. Pisoni, qui nō, quid efficere posset in rep. cogitauit, sed quid ipse facere deberet. deinde à uobis, P. C. peto, ut, etiam si sequi minus audebitis orationem, atque auctoritatem meam, benigne me tamen, ut fecistis adhuc, audiatis. Primum igitur acta Caesaris seruanda censeo: non quo probem: quis enim id quidem potest? sed, quia rationem habendam maxime arbitror pacis, atque otij. Vellem adesset Antonius, modo sine aduocatis: sed, ut opinor, licet ei minus ualere: quod mihi heri per illum non licebat. doceret me, uel potius uos, P. C. quemadmodum ipse Caesaris acta defenderet. An in commentariolis, & chirographis, & libellis se uno auctore prolatis, ne prolatis quidem, sed tantummodo dictis, acta Caesaris firma erunt: qua ille in aes incidit, in quo populi iussa, perpetuasque leges esse uoluit, pro nihilo habebuntur? Equidem sic existimo, nihil tam esse in actis Caesaris, quam leges Caesaris. an, si cui quid ille promisit, id erit fixum? * quod idem facere non potuit, ut multis multa promissa non fecit. quæ tamen multo plura reperta sunt, illo mortuo, quam uiuo, beneficia per omnes annos tributa, & data. sed ea non muto, non moueo: summo etiam studio præclara illius acta defendo. pecunia utinam ad Opis maneret, cruenta illa quidem: sed his temporibus, * cum iis, quorum est, non redditur, necessaria. quamquam ea quoque sit effusa, si ita in actis fuit. Ecquid est, quod tam proprie dici possit actum eius, qui rogatus in rep. cum potestate, imperioque uersatus sit, quæ lex? quære acta Gracchi: leges Sempronie proferentur. quære Sylla: Cornelia. quid? Cn. Pompeij tertius consulatus in
qui

quibus actis * consistit? nempe in legibus. a* Casare ipso si
 quæres, quidnam egiſſet in urbe, & in toga: leges mul-
 tas reſponderet ſe, & præclaras tuliffe: chirographa uero Po. Ro.
 aut mutaret, aut non daret: aut, ſi dediſſet, non iſtas res in
 actis ſuis duceret. Sed ea ipſa concedo: quibusdam in rebus
 etiam commineo: in maximis uero rebus, id eſt, legibus, acta
 Caſaris diſſolui, ferendum non puto. Quæ lex melior,
 utilior, optima etiam repu. ſæpius flagitata, quam ne præ-
 toriæ prouinciæ plusquam annum, neue plusquam bien-
 nium conſulares obtinerentur? Hac lege ſublata, uidentur
 ne uobis acta Caſaris ſeruari? quid? ea lege, quæ promul-
 gata eſt de tertia * decuria, nonne omnes iudiciariæ leges
 Caſaris diſſoluuntur? & uos acta Caſaris defenditis, qui
 leges eius eueritis? niſi forte, ſi quid memoriæ cauſſa re-
 tulit in libellum, id numerabitur in actis, & quamuis ini-
 quum, & inutile ſit, defendetur: quod ad populum cen-
 turiatis comitiis tulit, id in actis Caſaris non habebi-
 tur. At quæ eſt iſta tertia decuria? Centurionum, in-
 quit, quid? iſti ordini iudicatus lege Iulia, etiam ante Pom-
 peia, Aurelia non patebat? Cenus perſuiebatur, inquit,
 non centurioni quidem ſolum, ſed equiti etiam Romano.
 itaque uiri fortiſſimi, atque honeſtiſſimi, qui ordines du-
 xerunt, res & indicant, & iudicauerunt. Non quero, in-
 quit, iſtos: quicumque ordinem duxit, iudicet. At ſi fe-
 ratis, quicumque equo meruiſſet, quod eſt * laudatiuſ,
 nemini probaretis. In iudice enim ſpectari & fortuna
 debet, & dignitas. Non quero, inquit, iſta: addo etiam
 iudices manipulares ex legione Alaudarum. Aliter enim
 noſtri negant poſſe ſe ſaluos eſſe. O contumelioſum ho-
 norem iis, quos ad iudicandum nec opinantes uocatis: hic
 enim eſt legis iudex, ut ij res in tertia decuria iudicent,
 qui

P. 157.

qui libere iudicare non audeant. in quo quantus est error, dii immortales, eorum, qui istam legem excogitauerunt! ut enim quisque sordidissimus videbitur, ita libentissime severitate iudicandi sordes suas eluset: laborabitque, ut honestis decivius potius dignus videatur, quam in turpem iure coniectus. Altera promulgata lex est, ut & de vi, & de maiestate damnati, ad populum prouocent, si uelint. haec utrum tandem lex est, an legum omnium dissolutio? quis est hodie, cuius intersit istam legem manere? nemo reus est legibus illis: nemo est, quem futurum putemus. armis enim gesta, numquam profecto in iudicium uocabuntur. At res popularis: utinam quidem uelletis aliquid esse popolare. omnes enim iam ciues de reipub. salute, una & mente, & uoce consentiunt. Quae est igitur ista cupiditas legis eius ferenda, quae turpitudinem summam habeat, gratiam nullam? quid enim turpius, quam, qui maiestatem populi Romani per uim minuerit, eum damnatum iudicio, ad eam ipsam uim reuerti, propter quam sit iure damnatus? Sed quid plura, de lege disputo? quasi uero id agatur, ut quisquam prouocet, id agitur, id fertur, ne quis omnino unquam istis legibus reus fiat. Quis enim aut accusator tam amens reperitur, qui, reo condemnato, obici se multitudini conducte uelit: aut iudex, qui reum damnare audeat, ut ipse ad operas mercenarias statim protrahatur? Non igitur prouocatio ista lege datur: sed duae maxime salubres leges, quaestionesque tolluntur. Quid est igitur aliud, quam adhortari adolescentes, ut turbulenti, ut seditiosi, ut perniciosi ciues uelint esse? quam autem ad pestem furor tribunicius impelli non poterit, his duabus quaestionibus de vi, & de maiestate sublati? Quid, quod obrogatur his legibus Cae-

ris, quas iubent ei, qui de uis, itemque ei, qui maiestatis dānatus sit, aqua, & igni interdici? quibus cum pronocatio datur, nonne acta Caesaris rescinduntur? Quae quidem ego, P. C. qui illa nunquam probari, ita conseruanda concordiae causa arbitratus sum, ut non modo, quas uiuus Caesar leges tulisset, infirmandas hoc tempore non putarem, sed ne illas quidem, quas post mortē Caesaris prolatas esse, & fixas uideatis. De exsilio reducti a mortuo: ciuitas data non solum singulis, sed etiam nationibus, & prouincijs uniuersis a mortuo, immunitatibus infinitis sublata uellegalia a mortuo. Ergo haec, uno uerum optimo auctore, domo prolata defendimus: eas leges, quas ipse, uobis in spe et antibus, recitauit, pronuntiavit, tulit, quibus latis gloriabatur, ijsque legibus remp. contineri putabat, de prouincijs, de iudicijs, eas, inquam, Caesaris leges nos, qui defendimus acta Caesaris, eueritēdas putamus? Ac de ijs tamē legibus, quae promulgatae sunt saltem queri possumus: de ijs, quae iam latae dicuntur, ne illud quidem licuit. illae enim nulla promulgatione latae sunt, ante quam scriptae. Querunt quid sit, cur aut ego, aut quisquam uestrum, P. C. bonis tribunis plebis leges malas metuat, paratos habemus, qui intercedant, paratos, qui rempubl. religione defendāt. uacui metu esse debemus. Quas tu mihi intercessionēs, inquis? quas religiones nominas? eas scilicet, quibus reipubl. salus continetur. Negligimus ista, & nimis antiqua, & stulta ducimus. forum sepietur: omnes claudentur aditus: armati in praesidijs multis in locis collocabuntur. quid tum? quod erit ita gestum, id lex erit, & in as incidi iubebitis, *credo illa legitima, Consules populū iure rogauerunt. * hoc cōne a maioribus accepimus ius rogandi? Populusque iure sciuit. qui populus? isne, qui exclusus est? quo iure?

P. B.

an

P. 158.

an eo, quod uis, & armis omne sublatum est? Atque, hac dico de futuris: quod est amicorum, ante dicere ea, quae uitari possint: quae si facta non erunt, refelletur oratio mea. Loquor de legibus promulgatis, de quibus est integrum uobis: demonstro uicia: tollite. denuntio uim, arma: remouete. Irasci te quidem mihi, Dolabella, pro repub. dicenti, non oportebit, quamquam quidem te id facturum non arbitror: noui facilitatem tuam. Collegam tuum aiunt in hac sua fortuna, quae bona ipsi uidetur: mihi ne grauius quippiam dicam, auorum, & auunculi sui consulatum si imitaretur, fortunatior uideretur: sed eum iracundum audio factum. Video autem quam sit odiosum habere iratum eandem, & armatum: cum tanta praesertim gladiori sit impunitas. sed proponam ius, ut opinor, aequum quod M. Antonium non arbitror repudiaturum. Ego, si quid in uitam eius, aut in mores cum contumelia dixerō, quo minus mihi inimicissimus sit, non recusabo. si consuetudinem meam, quam semper in rep. habui, teneo, id est, si libere, quae sentiam, de rep. dixerō: primum deprecor, ne irascatur: deinde, si hoc non impetro, peto, ut sic irascatur, ut cuius armis utatur, si ita necesse est, ut dicit, sui defendendi causa: iis, qui pro repub. quae ipsis uisa erunt, dixerint, ista arma ne noceant. Quid hac postulatione dici potest aequius? Quod si, ut a quibusdam mihi eius familiaribus dictum est, omnia eius, quae habetur contra uoluntatem eius oratio, grauius offendit, etiam si nulla inest contumelia: serenus amici natura, sed idem illi ita mecum, Non idem tibi aduersario Caesaris licebit, quod Pisoni socero & simul admonet quiddam, quod cauebimus: nec erit iustior, P. C. in senatum non ueniendi morbi causa, quam mortis. Sed per deos immortales, te enim intuens, Dolabella, qui es mihi clarissimus, non possum de

de utriusq; uestrum errore reticere. Credo enim uos ho- P. B.
mines nobiles, magna quaedam spectantes, non pecuniam,
ut quidam nimis creduli suspicantur, quæ semper ab am-
plissimo quoq; , clarissimoq; contempta est, non opes uio-
lentas, & populo Rom. minime ferendam potentiam, sed
caritatem ciuium, & gloriam concupisse. est autem glo-
ria, laus recte factorum, magnorumq; in rempub. merito-
rum. quæ cum optimi cuiusq; , tum etiam multitudinis te-
stimonio comprobatur. Dicerem, Dolabella, qui recte fa-
ctorum fructus esset, * nisi te præter ceteros paulisper esse
expertum uiderem. Quem potes recordari in uita tibi il-
luxisse diem latiore, quam cum, expiato foro, dissipato
concurſu impiorum, principibus sceleris pœna affectis,
urbe* incēdio, & cædis metu liberata, te domum recepisti
cuius ordinis, cuius generis, cuius denique fortunæ studia
tum laudi, & gratulationi tuæ se non obtulerunt? Quin
mibi etiam, quo auctore te in ijs rebus uti arbitrabantur,
& gratias boni uiri agebant, & tuo nomine gratulaban-
tur. Recordare quæſo, Dolabella, consensum illum theatri,
cum omnes, earum rerum obliti, propter quas tibi fuerant
* offensi, significarunt se beneficio nouo memoriam ueteris
doloris abieciſſe. Hanc tu potuiſti, Dolabella, (magno lo-
quor cum dolore) hanc tu, inquam, æquo animo potuiſti
tantam dignitatem deponere? Te autem, M. Antoni, ab-
sentem appello: unum illum diem, quo in ade Telluris se-
natus fuit, non omnibus ijs mensibus, quibus te quidam
multum a me dissentientes beatum putant, anteponis? quæ
fuit oratio de concordia? quanto metu ueterani, quæta sol-
licitudine ciuitas tum a te liberata est? collegam tuum, de-
positis inimicitijs, oblitus auspiorum, a te ipſo * augure
populi Rom. nuntiatorum, illo primum die collegam tibi

P. 159.

esse noluisse: tuus parvus filius in Capitolium a te missus pacis obses fuit. quo senatus die latior? quo populus Romanus? qui quidem nulla in concione unquam frequentior fuit. tum deniq; liberati per viros fortissimos videbamur: quia, ut illi noluerant, libertatem pax cōsequebatur. Proximo, altero, tertio, demique reliquis consecutis diebus non intermītebas quasi donum aliquod quoti die afferre reipub. maximum autem illud, quod dicitur a nomen susulisti. hæc iniusta est a te, a te, inquā, mortuo Casari, nota ad ignominiam sempiternam. Vt enim propter unius M. Manlij scelus decreto gentis Manliæ neminem patricium M. Manlium uocari licet: sic tu propter unius dīctatoris odiū, nomen dīctatoris sciendius susulisti. Num huiusce, cum pro salute reipub. tanta gessisses, fortuna te, num amplitudinīs, num claritatis, num gloriæ pœnitebat? Vnde igitur subito tanta ista mutatio? non possum adduci, ut suspicer te pecunia captam licet quod cuiq; libet, loquatur: credere non est necesse. nihil enim unquam in te sordidum, nihil humile cognoui. quamquam solent domestici deprauare non unquam: sed noui firmitatem tuam: atq; utinā ut culpam, sic etiam suspicionem vitare potuisses. Illud magis uereor, ne ignorans uerum iter gloria, gloriosum putes, plus te unum posse, quam omnes, & metui a ciuibus tuis, quam diligimālis. Quod si ita putas, totam ignoras uiam gloria. Carum esse ciuem, bene de reipub. mereri, laudari, coli, diligimāloriosum est. metui uero, & in odio esse, inuidiosum, detestabile, imbecillum, caducum. Quod uidemus etiam in fabula, ipsi illi, qui, Od: rint dum metuant, dixerit, perniciosum fuisse. Utinam, Antoni, auum tuum meminisses: de quo tamen multa audisti ex me, eaq; sapissime. Putasne illum immortalitatem mereri uoluisse, ut propter armorum ha-

P. B.

ben

bendorum licentiam metueretur? illa erat uita, illa secunda fortuna, libertate esse parem ceteris, principem dignitate. Itaq; ut omittam res aui tui prosperas, acerbissimum eius diem supremum malim, quam L. Cinnæ dominatum, à quo ille crudelissime est interfectus. Sed quid oratione te flectam? si enim exitus C. Caesaris efficere hoc non potest, ut malis carus esse, quam metui, nihil cuiusquam proficiet, nec ualebit oratio. quem qui beatum fuisse putant, miserrimi ipsi sunt. Beatus est nemo, qui ea lege uiuit, ut non modo in pane, sed etiam cum summa interfectoris gloria interfici possit. Quare flecte te, queso, & maiores tuos respice, atq; ita gubernare repub. ut natum te esse ciues tui gaudeant: sine quo nec beatus, nec clarus, nec auctus quisquam esse omni potestate potest. Et populi quidem Rom. iudicia multa ambo habetis, quibus uos non satis moueri permolesto fero. Quid enim gladiatoribus clamores innumerabilium ciuium? quid populi uersus? quid Pompeij status plausus infiniti? quid duobus tribunus plebis, qui uobis aduersantur? parumne hæc significant, incredibiliter consentientem populi Rom. uniuersi uoluntatem? Quia* Apollinaribus ludis plausus uel testimonia potius, & iudicia populi Rom. uobis parua esse uidebantur? O beatos illos, qui, cum adesse ipsis propter uim armorum, non licebat: aderant tamen, & in medullis populi Rom. ac uisceribus hærebant. Nisi forte Accio tum plaudis, & sexagesimo post anno palmam dari putabatis, non Bruto, qui suis ludis ita caruit, ut in illo apparatissimo spectaculo studium populus Rom. tribuerit absentis, desiderium liberatoris sui perpetuo plausu, & clamore lemerit. Equidem is sum, qui istos plausus, cum a* popularibus ciuibus tribuerentur, semper contempserim: idemq; cum à summis, medijs, infimis, cum

P. 160.

demq; ab uniuersis hoc idem fit: cumq; ij, qui ante sequi populi consensum solebant, fugiunt: non plausum illum, sed iudicium puto. Sin hæc leuiora uobis uidentur, quæ sunt grauissima: non etiam hoc contemnitis, quod sensistis tam caram populo Rom. uitam A. Hircij fuisse? satis * erat enim probatum illum esse populo Rom. ut est: incundum amicis, in quo uincit omnes: earum suis, quibus est ipse carissimus: tantam tamen sollicitudinem bonorum, tantum timorem omnium in quo meminimus? certe in nullo. Quid igitur? hoc uos per deos immortales quale sit non interpretamini? quid eos de uestra uita cogitare censetis, quibus eorum, quos sperant reip. consulturos, uita tam cara sit? Cepi, P. C. reuersionis meæ fructum: quoniam ea dixi, ut quicumq; casus consecutus esset, exstaret conscientia mea testimonium: & sum à uobis benigne, ac diligenter auditus. Quæ potestas si mihi sapius sine meo, uestroque periculo fiet, utar: si minus, quantum potero, non tam mihi me, quam reip. referuabo. Mihi fere satis est, quod uixi, uel ad ætatem, uel ad gloriam: huc si quid accesserit, non tam mihi, quam uobis, reiq; publicæ accesserit.